

XXVIII.

Dat. 22 Junii 1693. An. 1.

Præscribitur moderatio servanda a Pontifice in concedendis bonis Ecclesiasticis suis Consanguineis, & Affinibus, horumque loco adlectis; necnon modus in signandis Gratiis per Concessum ipso ægrotante.

Alex. VIII. Const. ed. 1690, Mar. 15, P. 1. iterum restituatur redditus Vice-Cancellario. Et hujus Pontificis Const. ed. 1693, Octob. 15, P. 2. modus imponitur Card. circa Privilegium testandi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam in Ecclesie Catholice conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Domino, & inveniatur justus, fiatque forma gregis ex animo, & bonus sit Christi odor in omni loco; ceteri vero Antifites, & Ecclesiarum Prælati in partem sollicitudinis, cujus ei commissa est plenitudo, vocari, alique Christifideles, quos cura suæ divinitus creditos in visceribus paternæ gerit charitatis, ejus exemplo, atque præceptis caduca mundi hujus despiciere, carnisque, & sanguinis laqueos effugere, ac de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere, & spiritualium remigio alarum ad caelestia contendere, atque evolare auxiliante Domino condiscant. Hinc ad ea Sacrorum Canonum instituta, quæ Episcopis, ne bonis, & redditibus Ecclesie Consanguineos suos augere studeant, interdicit, considerationis nostræ aciem convertentes, eam Nobis in supremam Beati Petri Apostolorum Principis, cui caro, & sanguis non revelavit, Sede constitutus ab ipso Pontificatus nostri primordio servandam proposuimus, & hætenus Deo adjuvante servare studuimus disciplinam, ut in honorum, & reddituum ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram nostram Apostolicam spectantium distributione justitiæ, atque prudentiæ leges, & regulas accurate custodientes, summam meritorum, nullam autem carnis, & sanguinis, aut cujuscumque humani affectus rationem haberemus, & licet in Dei misericordia speremus, tales nobis successuros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quam in reliquis munus suum impleant, & Ecclesiam universam spiritualium aromatum odore perfundant: nihilominus ea, quæ Nobis licere non patimur, aliis indicare, salubremque in Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra circa præmissa normam, & legem constituere, atque stabilire decrevimus.

Causa Con- sitionis.

Non nisi ten- lo justitiæ li- ceat, dare ad- personis præ- fatis bonis.

§. 1. Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus nostris ejusdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter, & assensu ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antifitium, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum edificationem, & bonum exemplum, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque decernimus, salutarem hanc de-

cætero in dicta S.R.E. servari rationem, atque disciplinam, ut nec a Nobis, nec ab ullo Romanorum Pontificum successorum nostrorum ad favorem nostrorum, sive suorum respectivè Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcumque Consanguineorum, seu Affiniorum, sive illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque Consanguineorum, per cooptationem in familiam, aut aliter adlegi, seu adfiscari contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, redditibus, rebus, & juribus quibuscumque ad Sedem, & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quandocumque spectantibus, etiam ex emolumentis Datarie, Cancellariæ Apostolicæ, Secretariæ Brevium, spoliarum Ecclesiasticorum, & quarumcumque Palatii Apostolici portionum, seu distributionum provenientibus, liberalitatis, & donationis, aliove quovis gratuito, seu lucrativo titulo directe, vel indirecte, etiam servitorum, & meritorum, quæ tamen talia non sint, ut ex lege justitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, seu pretextu, sive etiam supra veram ipsorum servitorum, & meritorum rationem ullo modo in posterum disponatur.

§. 2. Quod si Fratres, Nepotes, Consanguinei, vel Affines, seu illorum loco adlecti, sive adfiscati præfati inopia laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo Pauperum extraneorum inopia subvenire fas est.

§. 3. Ne autem, quod directe prohibetur, indirecte permittatur magnorum stipendiorum, seu honorariorum nonnullis Sedis prædictæ officiis, seu muneribus, quæ Consanguineis, vel Affinibus, seu adlectis, vel adfiscatis præfatis concedi ut plurimum consueverunt, assignatarum ratione, stipendia, provisiones, sive salaria, & honoraria, & alias quomodolibet nuncupari solita emolumenta quacumque, quæ ante hac per Cameram prædictam in Civitate Avenionensi, & Comitatu Venaylino nostris in spiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis ejusdem Sedis de Latere Legato præfati, & solvi plerumque solita, & consueverunt: superintendentis vero Generalis negotiorum Sedis Apostolicæ, necnon totius militiæ, tam equestris, quam pedestris status nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & Capitanei Generalis, itidemque Classis, & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiusque, & illarum, Commissarii, & Locumtenentis Generalis, Arciumque, & Turrium ad littora maris tam Adriatici, quam Thyrræni existentium superintendentis Generalis, Præfecti quoque Generalis utriusque custodiæ Corporis Romani Pontificis, ejusque Locumtenentis Generalis, item Castellani Arcis S. Angeli de Urbe, Gubernatoris, ut alias deputabatur, Civitatis Beneventanæ, cujus tamen gubernium ad instar aliorum prædicti nostri status, prout in præfatarum servatur, remaneat, & Arcis Beneventanæ Præfecti; item Gubernatoris Oppidi nostri Civitatis Vetulæ, ac demum Perusina, Anconitanæ, & novæ Asulanæ respectivè Arcium Præfecti, seu Castellani, Officia, & munera ipsa cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscumque perpetuo supprimimus, & abolemus, illaque deinceps, quomodocumque, & quandocumque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero assignari, & præfari, seu concedi, & conferri respectivè volumus, atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta, urgentisque necessitas munera, seu officia militaria hujusmodi, vel aliqua ex eis de novo institui exegerit, viros ad illa assumi volumus, & mandamus, strenuos, & fideles, eximia virtute præstantes, rei que militaris apprimè peritos, & in illa diuturno, ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens secundum datam sibi a Domino sapientiam pro ratione laboris, industria, atque periculi competentia, & congruentia stipendia assignabit. Porro si nostri, successorumque nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicumque Consanguinei, seu Affines, sive veri, sive, ut præfertur adlecti, & adfiscati vitam Ecclesiasticam elegerint, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum Pensionum super eorum fructibus consecutionis capaces fuerint, eam in reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributione, eis faciendâ servari volumus moderationem, ut non nisi juxta eorum merita, & non ultra congruum pro gradu, vel dignitatis, quem, vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu sustentationem, ejusmodi redditus, & proventus Ecclesiastici eis distribuatur, quo custodia in omnibus Ecclesiasticæ disciplina, atque justitiæ distributivæ regula, nemini relinquatur conquerendi, vel obloquendi occasio: sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei, æqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

Quid fas sit in casu inopia eorum.

Ut tollatur prætextus stipendiorum, hæc abolerentur cum pluribus officiis, & muneribus secularium.

Urgente necessitate eas renovari possunt, sed cetera scientia.

In Ecclesiasticis personis attendatur dignitas, sed cetera gradus.

Cardinalibus assignari nequeant ad vitam plura scuta.

rationem, ut supra respectivè præscriptam nullatenus assequi valeant.

§. 5. Quod si forsân (quod absit) modus circa præmissa sic congruenter, salubriterque præscriptus in posterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus successoribus, donationes gratuita, seu lucrativas dispositiones, excelsivas subventiones, munerum, & officiorum, seu illorum stipendiorum, & emolumentorum concessiones, ac reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, necnon collationes, commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque præmissa contra, vel ultra modum, ut præfertur, præscriptum factas, seu facta, rescindere, revocare, & in nihilum redigere, ac ut præfertur, donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata, & assignata a Consanguineis, & Affinibus, sive veris, sive adlectis, & adfiscatis præfatis, eorumque Heredibus, & successoribus respectivè, etiam manu regia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Cameræ Apostolicæ applicare, & incorporare, aliique respectivè conferre, commendare, concedere, & assignare, ac alias desuper opportune providere, seu disponere.

Si secus quid fiat, id successores Pontificis rescindat.

§. 6. Quia vero ægrotante Romano Pontifice nonnunquam contingit, ut Signaturæ gratiarum, que per Concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex dum bene valebat, servare consueverat; statuiamus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturas per concessum a Romano Pontifice, ægrotante, etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel alias quomodocumque committi contigerit, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S.R.E. Cardinales, qui una cum signatore præfato coram ipso Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earumdem gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum Scripturis subscribant, alioquin quidquid secus actum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti, & qui huic saluberrimæ sanctioni contraverint ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus successoribus condignis poenis puniantur.

Modus servandus in signandis gratis per concessum ægrotante Pontifice.

§. 7. Ut autem præmissa omnia, & singula perpetuo, & inviolabiliter observentur: volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut sicut ejusdem S.R.E. Cardinales in Romana Curia præfatis hanc Constitutionem quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec ullis contrariis, etiam Romanis Pontificibus consentire, nec absolutionem a juramento præfatis petere, nec oblatam, aut concessam acceptare promiserunt, & jurarunt, item quoque per absentes ab eadem curia dicta Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, quandocumque ad eam advenierint, ac per futuros Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat, promissioque, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præfati soliti adjungantur, & adscribantur. Occurrente autem quandocumque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione iidem Cardinales in Conclavi quando de observandis fel. rec. prædecesso-


Hæc Constitutio confirmata est juramento ab omnibus Cardinalibus, & Pontificibus.

rum Nostrorum Julii PP. II. super electione Romani Pontificis, Pii PP. V. ne Civitates, & loca S.R.E. infudentur, & Sixti PP. V. de pecuniis in Arce S. Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis juramentum prestare solent, etiam de presenti Constitutione per quemlibet eorum, qui Romanus Pontifex electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad Supremi Apostolatus officium assumptus, post assumptionem hujusmodi hoc ipsum promittere, & jurare debeat, servatis etiam aliis omnibus, & singulis illis, quae circa juramentum hujusmodi in praefata Sixti praedecessoris Constitutione Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octogesimo sexto, undecimo Kal. Maji Pontificatus sui Anno primo edita praescribuntur.

§.8. Has quoque nostras literas in libellum redigi, & post predictas Julii, Pii, & Sixti, quae in Conclavi legi solent, aliorumque praedecessorum nostrorum Constitutiones adjungi, & in quinterno Cancellariae nostrae Apostolicae una cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad Valvas Ecclesiae Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, dictaeque Cancellariae, & in Acie Campi Florae de Urbe publicari, ipsarumque praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud ubique haberi volumus, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Constitutionis, suppressionis, abolitionis, Taxationis, Statutorum, Decretorum, voluntatum, & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo. Decimo Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus promitto, voveo, & juro.



Item adjungendi alii Constitutionibus, & publicanda.

Sanctio per nalis.

Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franconus promitto, voveo, & juro.

Ego P. Episcopus Praenestinus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

Ego F. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Maidalchini promitto, voveo, & juro.

Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Nicolaus Tit. S. Calisti Presbyter Cardinalis Acciajoli promitto, voveo, & juro.

Ego Gaspar Tit. S. Mariae Transiberim Presbyter Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.

Ego Caesar Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. de Elyrees promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Tit. S. Sylvestri de Capite Presbyter Cardin. Casanata promitto, voveo, & juro.

Ego Galeatus Tit. SS. Quirici, & Julitae Presbyter Card. Marescotus promitto, voveo, & juro.

Ego Fabritius Tit. S. Chrysoconi Presbyter Cardinalis Spada promitto, voveo, & juro.

Ego P. Thomas Howardus Tit. S. Mariae super Minervam Presbyter Card. de Norfolkia promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Baptista Tit. S. Ceciliae Presbyter Card. Spinula promitto, voveo, & juro.

Ego Fr. Laurentius Basilica SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Laurea promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus Tit. S. Mariae de Aracali Presbyter Cardinalis de Angelis promitto, voveo, & juro.

Ego Marcus Antonius Barbadiens Tit. S. Susanna Presbyter Card. S. Susanna promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte Aereo Presbyter Cardinalis de Gassen promitto, voveo, & juro.

Ego P. Maria Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Petruccius promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Joseph Saens Tit. Sanctae Balbinae Presbyter Cardinalis de Aguirre promitto, voveo, & juro.

Ego Leander Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Coloretus Major Penitentiarius promitto, voveo, & juro.

Ego Fortunatus Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Carafa promitto, voveo, & juro.

Ego Bandinus Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Panciaticus promitto, voveo, & juro.

Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presbyter Card. de Abdua promitto, voveo, & juro.

Ego Tullianus Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson Forbin promitto, voveo, & juro.

Ego Jo. Baptista Tit. S. Laurentii in Pano, & Perona Presb. Card. Rubinus promitto, voveo, & juro.

Ego Jo. Baptista S. Anastasia Presbyter Card. Colaglutus promitto, voveo, & juro.

Ego Urbanus S. Mariae in Vialata Diaconus Cardinalis Sacchetti promitto, voveo, & juro.

Ego Fulvius SS. Cosma, & Damiani Diaconus Card. Astallius promitto, voveo, & juro.

Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus Card. Othobonus S. R. E. Vice-Cancellarius promitto, voveo, & juro.

Ego C. S. Mariae in Cosmedin. Diaconus Cardinalis Bichius, promitto, voveo, & juro.

Ego Aloysius S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albani promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Cardinalis Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis, promitto, voveo, & juro.

XXIX.

Confirmantur Decreta Capituli Gen., & Congregationis Episc., & Reg. pro celebratione Capituli Provincialis FF. Discalearum S. Augustini Provinciae Germaniae.

Eadem facultas concessa fuit Eremitis Discalearis Congregationis Italiae a Clem. XI. Const. ed. 1701, Apr. 30, P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Super pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Congregationis Italiae Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Excalceato-

rum nuncupatorum Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita expositum fuit, quod Capitulum Generale dictae Congregationis Italiae novissime sub praesidentia Ven. Fratris nostri Palatii Episcopi Praenestini ejusdem S.R.E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, Ordinis praedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris celebratum ad favorem Provinciae Germaniae ejusdem Congregationis Italiae Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet. Die 7. Maii Seff. 7. post Vesperas lectus fuit supplex Libellus Provinciae Germanicae, in quo repetit preces in aliis Capitulis Generalibus porrectas, quod ei soli concedatur celebratio Capituli Provincialis, ob particulares rationes adductas, atque etiam ob instantiam Augustissimi Imperatoris, & annuente Eminentissimo, & Rmo D. Cardinale Palutio de Alteriis S.R.E. Camerario Protectore nostro, & praesentis Capituli Generalis Apostolico Praesidente, mature consideratis considerandis decernimus, & statuimus, quod omnino concedatur, sicut de facto concedimus, itaut possit incipere Capitulum Provinciale in secundo anno praesentis triennii juxta methodum statutam in Capitulo Generali de anno 1628., & in praesenti approbatam, & confirmatam cum nonnullis additionibus, prout in exemplari subscripto ab Esmo praedicto Protectore, & a Praeside, necnon ab omnibus, & singulis P.P. Definitorii Generalis; insuper impartiuntur facultatem Patri Calisto a Sancto Innocentio Procuratori Generali ex praeteritis impetrandi confirmationem praesentis Decreti a Sacra Congregatione statuti Episcoporum, & Regularium praeposita, & quatenus opus esset, etiam robur Apostolicum a Ssmo D. Nostro Innocentio PP. XII. omnibus per vota secreta concurrentibus Cardinalis de Alteriis Protector, & Praeses.

§.1. Et proinde pro parte dicti Procuratoris Generalis praedictae Cardinalium Congregationis supplicato, ut Decretum hujusmodi confirmaret, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis videlicet: Sac. Congregatio Emorum, & Rmorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita attentis narratis, petitam confirmationem, servata tamen in omnibus unitate, & subjectione, prout antea, oratori benigne concessit. Romae 23. Maji 1692. H. Card. Casanata. Locus * Sigilli.

A. Altovitus Secretarius.

§.2. Cum autem sicut dictus Procurator Generalis nobis subinde exponi fecit ipse praemissa, quo firmiter subsistant, & serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum D. possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nominis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praesertim novissimi Capituli Generalis Decretum a memorata Cardinalium Congregatio-

Decretum Capituli Gen.

Decretum Congregationis.

Preces Procuratoris Gen.

Confirmatio rectoris Decretorum.

gatione, ut premititur, confirmatum, necnon desuper emanatum Decretum a Congregatione Cardinalium, Decretum iudem preinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in premissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Causula.

§.3. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime fuitragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in premissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, Congregationis Italiae, & Provinciae praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatae, die XXX. Junii MDCXCII. Pontificatus nostri Primo.

XXX.

Dat. 11. Aug. 1692. An. 1.

Decretum particularis Congregationis, quo abolerentur omnes Iudices particulares, & Tribunalia Urbis revocantur ad jus commune.

Inn. XI. Const. ed. 1689, Junii 28, P. 13. extat reformatio Tribunalium. Et hujus Pontificis Constitut. ed. 1692, Septem. 17, P. 2. revocatio Tribunalium particularium.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causula de Decretis.

Decretum quo revocantur omnia Privilegia eligendi Iudices Particulares.

AD radicem submovendum quotidianos Jurisdictionum conflictus, & intolerabiles abusus, qui in Romana Curia ex multitudine Iudicum particularium exercitium ex privilegio privatam, seu cumulativam Jurisdictionem nimis irrepperunt, Congregatio particularis a Sanctissimo Domino nostro Innocentio Divina Providentia Papa XII. specialiter (ut infra) deputata censuit, nullum aliud magis proprium, justius, & aptius remedium dari posse huic gravissimo malo per quod Jurisdictio Iudicum, & Tribunalium Ordinariorum ad nihilum fere redacta reperitur, quam mediante nova Congregatione per sanctitatem suam promulganda penitus tollere, & abrogare omnem praedictas Iudicaturas particulares vigore privilegiorum ha-

tenus erectas, & constitutas; & proinde ad viam juris reducere omnia, & singula Indulta, facultates, & privilegia eligendi, seu deputandi tam in prima, quam in ulterioribus instantiis omnes praedictos Iudices particulares quocumque nomine nuncupatos concessa per praedecessores Romanos Pontifices Congregationibus etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis etiam Patriarchalibus, Universitatibus, Monasteriis, Collegiis, etiam sub cura, & administratione Patrum Societatis Jesu existent. Hospitalibus, Archiepiscopalibus, etiam Sancti Spiritus in Saxia, Confraternitatibus, Conservatoriis, Domibus piis, etiam Almae domus Lauretanae, Capellis, Altaribus, Montibus etiam Pietatis, ceterisque aliis Locis piis, quocumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus, eorum Protectoribus, Archiepiscopis, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque in quibusvis Causis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis dictarum Ecclesiarum, Locorum Priorum, aliorumque, ut supra, necnon eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiorum, Affictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorum, que quomodolibet inservientium eisdem Locis piis, illorumque bonis, & Tenentis, etiam Privilegia praedicta appareant, seu fuerint concessa motu proprio, consistorialiter, seu in limine foundationis, sive ex causa onerosa, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, & quantumvis extiterint semel, ac pluries per Sedem Apostolicam confirmata, & innovata, cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi beneficos, ac providendi Summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura Iudicii, manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursum, revisione, supplicatione, seu restitutione, in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus, ac quibuslibet efficacissimis clausulis munita noscantur, etiam si istae continerent derogatorias ad futura, seu derogatorias derogatoriarum, seu mandarent revocari non posse, nisi auditis etiam pluries habentibus interesse, itaut Constitutionis per Sanctitatem suam promulgandae effectus sit, quod in omnibus, & per omnia praedicta privilegia, facultates, & Indulta quocumque titulo, causa, vel ratione, aut verborum amplitudine edita, seu concessa habeantur, ac si non emanassent, aut nunquam fuissent confirmata, vel innovata.

Quid agendum de jam incensis causis.

§.1. Mens autem, ac sensus Congregationis fuit, & est sub presenti ordinatione non comprehendere causas, jam instructas, seu alias legitime, contestatas coram Iudicibus particularibus, quive propterea ea non obstantes poterunt ad illarum expeditionem prout Juris fuerit procedere. Verum si causis hujusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, restitutiones in integrum devolvantur ad Signaturam Justitiae, prout practicatur in ceteris Causis expeditis a Iudicibus Ordinariis, nec amplius redire possint ad Tribunalia antiquorum privilegiorum, sive ad Protectores, Archiepiscopos, aliosque, ut supra, prout nec etiam in casu Recursuum, & appellationum in posterum inter-

XXXI.

Prescribuntur facultates, quae competunt Majori Poenitentiario, & quomodo ab eo exerceri debeant.

Dat. 3. Sept. 1692. An. 2.

Excipiuntur nonnulli Iudices Particulares.

interponendarum a sententiis, & Decreti Iudicum per eosdem privilegiatos extra Curiam deputatorum, seu deputandorum, hujusmodi recursum, & appellationes amplius ad supranominatos, sed ad Iudices Ordinarios, & competentes Romanae Curiae devolvi debeatur.

§.2. Declarandum tamen, quod per presentem ordinationem non censetur ullo modo adempta Cardinalibus, Archiepiscopis, Protectoribus, seu Titularibus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultas, seu Jurisdictio in his quae concernunt servitium Ecclesiae, seu Loci Pii circa disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem dumtaxat, prout quod neque sub eadem ordinatione comprehensa sint Tribunalia Camerae Apostolicae, Legatus Avenionensis, ac Iudex Fabricae S. Petri, neque Congregationes descriptae in folio liberulo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis. Quo vero ad interesse Notariorum, necnon ad artes, & Consulatuum Urbis, censuit eadem Congregatio, esse in posterum particulariter providendum.

Approbatio Pontificis.

§.3. Facta sub eadem die 3. Augusti 1692. per me infra scriptum relatione praemissa resolutionis Sanctissimo D. Nostro, Sanctitas Sua praecipit, illam publicari, & interim omnino observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem iam emanasset.

Ansaldo de Ansaldo SS. Domini Nostri Auditor.

Sequuntur nomina Praelatorum, aliorumque qui praedictae Congregationis particularis a Sanctissimo specialiter deputati intervenierunt.

Reverendissimus P. D. Prosper Bottinus Archiepiscopus Mirensis, Fiscus, & Camerae Apostolicae Advocatus, & Promotor Fidei.

Reverendissimus Jacobus Emerix Sac. Rotae Advocatus.

Reverendissimus P. D. Matthaeus Ysore de Heruault Sacrae Rotae Auditor.

R. P. D. Federicus Caccia Sacrae Rotae Auditor.

R. P. D. Joseph Molines Sacrae Rotae Auditor.

R. P. D. Joannes Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.

R. P. D. Curtius Origus Signaturae Justitiae Auditor.

R. P. D. Joseph Sacripantes Sanctissimi D. N. Subdatarius.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Rev. Camerae Apostolicae Commissarius Generalis.

R. P. D. Ansaldo de Ansaldo Auditor Sanctissimi.

Dominus Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiae Capitoli.

Dominus Joannes Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi Cardinalis Vicarii.

Pro Domino successore Domini Nicolai Florelli olim A. C., & Sacri Palatii Apostolici Notarii.

Angelus Montani pro Rev. Camerae Deputatus.

Non eadem semper fuit facultas Majoris Poenitentiarum, uti constat ex Constitutionibus infra laudatis, videl. Pii IV Const. ed. 1562, Maji 3, P. 3, Pii V Const. ed. 1569, Apr. 28, P. 4, & Const. ed. 1569, Jun. 17, P. 4. Gregorii XIV Const. ed. 1591, Apr. 10. Urbani VIII Const. ed. 1634, Septem. 17, P. 12. Et aliorum Pontificum. Hujus Pontificis Const. ed. 1692, 7. Idus Maji, P. 1. reformatam fuit iudicium facultas circa reditum homicidarum. Et Const. ed. 1692, Novemb. 18. P. 2. revocata fuit facultas Tribunalium particularium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANUS Pontifex omnium Christianissimum Pater, & Pastor, ejus, qui ut peccatores pretiosi sui sanguinis profusione Redemptos salvos faceret, semetipsum exinanivit, vicesgerens in Terris ad ea, per quae sibi caelitus commissi gregis salutis uberius consulitur praecipuus debet, & indefessus studii incumbere, sibi que in Petro Apostolorum Principe attributam potestatem, qua infallibili Christi Domini Testimonio, quidquid solverit super terram, erit solutum & in Coelis, per se, & respective per alios provida dispensatione exercere. Hujus considerationis intuitu Romani Pontifices Praedecessores Nostri Poenitentiarum Apostolicae Officio, & Majori Poenitentiario quamplures, & amplas facultates concesserunt, illisque aliquando, in iis praesertim, quae forum internum non concernebant, reformatarunt, & quandoque ampliarunt, & immutarunt, prout, rerum, & temporum circumstantiis opportunitatibus, & vicissitudinibus attente pensatis, censuerunt in Domino salubriter expedire.

Procurium.

§.1. Alias siquidem post antiquiores Officii hujusmodi status felic. record. Pius PP. IV. Praedecessor Noster Officiorum, & Tribunalium Romanae Curiae Reformationi Pastoralis sollicitudine intentus, ad ejusdem Poenitentiarum Officium, in quo morum censura, & animarum, salus praecipue vertitur, considerationis suae oculos direxit, habitaque desuper cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque Majori Poenitentiario, ac ejus Officialibus auditis, ac omnibus mature consideratis, de eorumdem Cardinalium consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Major Poenitentiarius, Regens, Correctores, Superiores, & Procuratores, ac alii quicumque ejus Officiales, & Ministri ab eorum omnium, quae in tunc confectis capitulis, & prohibitionibus continebantur, & forum internum, seu poenitentialem plerumque non respiciebant, concessione, & commissione penitus cessare, & abstinere deberent, per quasdam suas anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quinto Nonas Maji Pontificatus sui anno Tertio expeditas

L 1

ditas